

*rum in Aulularia, ubi pauper Euclio recusat ditissimi hominis  
Megadori affinitatem his verbis:*

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse homi-  
nem divitem

Factiosum: me item esse hominem pauperum pau-  
perimum:

Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit  
Te bovem esse, & me esse asellum, ubi tecum con-  
junctus siem,

Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus  
in luto.

Tu me bos magis haud aspicias, notus quasi nun-  
quam siem,

Et te utar iniquiore, & me meus ordo irrideat:

Neutrubi habeam stabile stabulum: si quid divortii  
fuit,

Asini me mordicus scindant, boves incurserint corni-  
bus.

Hoc magnum est periculum ab asinis ad boves tran-  
scendere.

*Item in Poenulo:*

Viam qui nescit qua deveniat ad mare.

Eum oportet amnem quærere comitem sibi:

Ego malè loquendi vobis nescivi viam;

Nunc vos mihi amnes estis, vos certum est sequi,

Si benè dicetis, vestra ripa vos sequar,

Si malè dicetis, vestro gradiar limite.

*(Sic Terent. in Eunuch. Sine Cerere & Baccho friget Venus,  
id est, sine cibo & vino friget amor. Allegorica est Metonymia  
efficientis. Exempla plura recurrent in tropis.)*

*Allegoriae sunt hi CANONES.*

1. Allegoria non sit nimis crebra, nam sa-  
tietatem parit.

2. In allegoria ex quo genere rerum cœpe-  
ris, eodem etiam desinas, secus inconsequentia  
fœdissima fuerit.

(Vt,